

## De rebus a C. Iulio Caesare apud Herdam in Hispania gestis.

(Caes. B. C. I, 38 — 84.)

Commentarii, quos scripsit C. Iulius Caesar rerum suarum, intellectu ita faciles, ut vel in inferioribus scholis discipulis tantum non plane rudibus vixque grammaticae elementis imbutis legendi tradantur, non magnopere interpretis munere atque opera indigere videntur. Perspicuitatis causa omnium peritorum iudicio jam antiquitus sunt probati. Hanc vero perspicuitatis laudem, qua etiam a Cicerone (Brut. c. 75.) nudi, recti et venusti dicuntur omni ornatu orationis tanquam veste detracta, ad libros de bello gallico tantum referendam esse constat.<sup>1)</sup> In his enim, nusquam non quod cogitat, perlucet et quia res ipsas, quales sunt, tranquillo animo cogitat et ubique scit, quid velit, satis certas rerum formas vides expressas tantaque in oratione est usus observantia, ut fere verba audias sermone quotidiano hominum eruditorum frequentata atque composita secundum leges grammaticae omnibus notas.<sup>2)</sup> Aliter se res habet in commentariis belli civilis. Caesarem eos post libros de bello gallico devictis Pompeii liberis uno impetu et facillime et celerrime perfecisse auctor est Hirtius (§ 6. praef. lib. VIII. de bell. gall.). Ad hos quoque concinnandos ephemeride non opus eum habuisse verisimile est, sed qua erat ingenii magnitudine, scribarum opera,<sup>3)</sup> quae in republica Romana administranda et domi et belli multa variaque erat, publicis quaestorum rationibus, legatorum epistolis, quibus ea, quae eo absente gesserant, perscripserunt, et suis medio ex armorum strepitu ad amicos datis, quas editas esse scimus, aliis literarum praesidiis adiutus, sane res, ut gestae erant, ita narrare potuit. Veruntamen quum in hac narratione suam ipse causam simul agat coram aequalibus studeatque iis persuadere, non

<sup>1)</sup> Nipperdeii quaestiones Caesarianae, pag. 5.

<sup>2)</sup> Th. Mommsen, Röm. Gesch. III. 569: „Ueber die Schrift vom gallischen Kriege ist eine helle Heiterkeit, eine einfache Anmuth ausgegossen, welche nicht minder einzig in der Literatur dastehen, wie Caesar in der Geschichte.“

<sup>3)</sup> Drumann, Geschichte Roms III. 754.: „Caesar umgab sich im Felde mit Schreibern, sie mussten aufzeichnen, was sich ereignete, und er verarbeitete den Stoff bei Musse zu einem Ganzen.“

sua, sed Pompeii<sup>4</sup>) et maxime Catonis, aliorum inimicorum culpa bellum civile esse natum, nullum se extraordinarium honorem appetisse, sed ut exspectato legitimo tempore a. u. 705 consul iterum crearetur ita quidem, ut, ne semestre imperium amitteret, sui absentis in comitiis ratio haberetur, illos autem vel lenissimas pacis conditiones identidem propositas caeca suarum virium fiducia sprevisse omninoque temeritate et pertinacia, crudelitate atque insolentia dignos fuisse, qui vincerentur, non est, quod miremur, si non omnibus locis id ipsum, quod scire nostra interest, docuit, si quaedam, quae ad famam atque opinionem hominum non satis tuto dici posse videbantur vel quae ira studiove, quominus diceret, impediabatur, consulto omisit,<sup>5</sup>) si nonnulla non sine cupiditate naturaliter innata animique concitatione scripsit veritatis non admodum diligens.<sup>6</sup>) Veluti fidem nos denegamus narranti (I. 4.) Catonem nil nisi veteres inimicitias Caesaris et dolorem repulsae incitasse; injuria exprobare videtur adversariis audaciam (I. 5.), qua ad illud extremum atque ultimum senatus consultum, quo nisi paene in ipso urbis incendio atque in desperatione omnium salutis nunquam ante descensum sit: dent operam consules, praetores etc., ne quid respublica detrimenti capiat, decurrerint, quasi lector ignoret nunquam majore in periculo civitatem fuisse (Cic. ad fam. XVI. 11, 3.) atque ignem multo minorem calamitatem libertati Romanorum allaturum fuisse, quam Caesaris arma atque ingentes spiritus. Ejusdem generis est, quod provincias privatis decerni et in se jura magistratuum commutari, ne ex praetura et consulatu, sed per paucos probati et electi in provincias mittantur (I. 6, 85.), tam vehementer indignatur dissimulans, quod non potuit ignorare, lege Pompeia ad coercendum ambitum, ut perhibebatur (Dio. 40, 56.), jam a. 702 senatus consultum firmatum esse, ne magistratus deposito honore statim in provincias mitterentur; quod qui non continentior in vita hominum, quam in pecunia videri voluerit (I. 23.), Lentulum protenus aperto sanctiore aenario ex urbe profugisse narrat, ita ut, qui pecuniam inde eripuit, quia claustra non effregerit, furti crimen non subierit (I. 14. Plin. h. n. 33, 3, 14. Dio. 41, 6, 39. Appian. 6, 2, 41. Florus 4, 2. Plut. Caes. c. 35.). Quo jure denique Afranio,

<sup>4</sup>) Pompeium nunquam cum contumelia appellat, ingratum tantum atque inconsideratum animum ei vitio vertit; acerbius alii judicant: Tacit. Ann. 3, 28.: Tum Cneius Pompeius tertium consul corrigendis moribus delectus, et gravior remediis, quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor, quae armis tuebatur, armis amisit. Th. Mommsen: Die Rechtsfrage zwischen Caesar und dem Senat p. 48: „In der That, Pompeius war der rechte Sohn des Mannes, den wegen falschen Spieles zwischen den Parteien die Menge von der Todtenbahre gerissen und durch die Gassen der Hauptstadt geschleift hatte, ein Politiker von jenem Schlage, die in allem andern oberflächlich und nur in der Duplicität tief sind, denen Staatskunst die Kniffligkeit des Winkeladvokaten und denen die hohe Politik eine Spielart des Gauner-gewerbes ist.“

<sup>5</sup>) B. C. III. 16.; 94. Florus IV. 2, 48. et Horkel: Geschichtschreiber der deutschen Vorzeit I. p. 237.

<sup>6</sup>) Nipperdey l. c. p. 128. Mommsen: Die Rechtsfrage etc. p. 48.; R. Gesch. III. 429: „Es versteht sich von selbst, dass Caesar ein leidenschaftlicher Mann war, denn ohne Leidenschaft giebt es keine Genialität, aber seine Leidenschaft war niemals mächtiger als er,“ pag. 431: Alles dieses (dass er nämlich Redner, Schriftsteller, Feldherr war) ist bei Caesar nur Nebensache: er war zwar ein grosser Redner, Schriftsteller, Feldherr, aber jedes davon ist er nur geworden, weil er ein vollendeter Staatsmann war. Aliae huius sunt leges, aliae rerum scriptoris. Drumaun III. 757.: „Auch im Bürgerkriege erzählt er zu seinem Vortheile.“ — — „Diese Beispiele beweisen, dass er nicht durchaus Glauben verdient; man hat aber übertrieben.“

qui milites seditiosos injussu ducis clam cum hostibus colloquentes et per se de pace concilianda agentes ad officium atque novum jusjurandum revocaverat atque ita fidem erga imperatorem suum Cn. Pompeium conservaverat, potuit vertere crimini, quod neque colloqui neque indutiarum jura servasset (I. 85.)? Ad infamiam praeterea adservariorum pertinere videtur, quod nonnumquam accepta a se incommoda mirum in modum minuit, hostium auget. Curio, dux in Africa fortis quidem, sed inconsideratus, exercitum uno tempore in castra reducit (II. 35.) suis omnibus praeter unum incolumibus, ex numero adversariorum circiter DC interfectis et mille vulneratis. In Graecia aliquando ex hostibus LXXX interficiuntur, reliqui in fugam conjiciuntur, ex Caesarianis, quamquam in insidias inciderant, duo tantum amittuntur (III. 37.); ad Dyrrhachium porro uno die sex proeliis factis duo milia ex Pompeianis ceciderunt, Caesariani non amplius XX omnibus sunt proeliis desiderati (III. 53.) et in proelio ad Pharsalum commisso Caesar se desiderasse narrat ducentos milites, centuriones triginta, ex Pompeiano exercitu amplius milia quindecim cecidisse videbantur (III. 99.), quod credat Judaeus Apella. — Ex eodem hoc fonte animi concitati, nisi id summis Caesaris celerrime scribentis occupationibus attribuere velis, derivandum videtur, quod oratio non omnibus locis tam aequabiliter unoque tenore fluit, quam in commentariis belli gallici, quod alia — quod statim initio libri primi offensionem est — abrupte, raptim atque turbate, ut multa aguntur (I. 5.)<sup>7)</sup>, ita dicuntur quoque, alia, quae conjuncta expectes, dissipantur, neque omnia mira illa concinnitate atque elegantia, quam Quintilianus in Caesare laudat (X. c. 114.), exornantur. Quo tamen in judicio cavendum est, ne quod codicum culpa factum sit, scriptori attribuamus. Sunt enim hi libri in solis interpolatis codicibus, quorum satis fortem censuram nuper demum egit Nipperdeius,<sup>8)</sup> servati. —

Jam ad res a C. Julio Caesare ad Ilerdam in Hispania gestas, in quibus imperatoris scientia rei militaris, constantia, incredibilis felicitas et mira maxime clementia, qua sanguini civili percipit, clarissima conspiciuntur in luce, perlustrandas conversi idem, quod deinde in pugna Phar-

<sup>7)</sup> Cf. Herzog ad I. 41. 47, Queck I. 47.

<sup>8)</sup> Aliam mutati sermonis causam Th. Mommsen affert (R. Gesch. III. 559.): „Den Büchern vom Bürgerkriege meint man es anzufühlen, dass der Verfasser den Krieg hatte vermeiden wollen und nicht vermeiden können, vielleicht auch dass in Caesars Seele, wie in jeder andern, die Zeit der Hoffnung eine reinere und frischere war, als die der Erfüllung.“ —

<sup>9)</sup> Quum ejus textum in hac scriptiuncula sequamur, cur duobus locis, qui huc pertinent, dissentiamus, breviter exponemus. Jam primum ei omnia, quae I. 39. leguntur, graviter corrupta videntur atque ex loco: „Erant, ut supra demonstratum est, legiones Afranii tres, Petreii duae, praeterea scutatae citerioris provinciae et cetratae ulterioris provinciae cohortes LCCC equitumque utriusque provinciae circiter V milia,“ verba: citerioris provinciae, ulterioris provinciae, utriusque provinciae ut spuria tollenda judicet, quod scutarum cohortium alibi Caesar non faciat mentionem, quod cetratae c. 48. ex citeriore quoque provincia commemorentur, quod auxilia ex ulteriore provincia, quam T. Varro, hujus ad Ilerdam gesti belli non particeps, obtinebat, non affuerint, denique quod illud diserimen, quasi citerioris provinciae auxilia alio armorum genere usi sint, atque Lusitani, inane sit. At haec verba non abundant ad generalem loci sententiam exprimendam: validissimas Pompeii copias in Hispania esse oppositas Caesari, quod is ipse qui proficiscens inter suos professus sit ire se nunc ad exercitum sine duce et inde reversurum ad ducem sine exercitu (Sueton. Caes. c. 34.), non ignoravit. Etiam auxilia et levis et gravis armaturae optima esse delecta. Cetrus enim brevis et oblongis e corio factis teste Servio (Virg. Aen. 7, 732.; Tac. Agric. c. 36.; Liv. 21, 27.) Afri et Hispani et Britanni utebantur, cetrati levis

salica enarranda (III. 88. Drumann III. 756.) desideramus, accuratam locorum notationem, quam, praesertim quum Goelerus, vir rei militaris in Caesare peritissimus, hunc locum nondum tractaverit, in narrationis summam suis locis inseramus. Libenter tamen, nisi forte in scirpo nodum videbimur quaesivisse, cotis vice fungentes acutiora ingenia, quae his rectius norunt nobisque impertiunt, sequamur. —

Ilerda erat oppidum vetustum Hispaniae Tarraconensis positum in modico colle ripae dextrae Sicoris fluminis viginti milia passuum infra in Hiberum influentis (alta, celsa Ilerda, Luc. Phars. 4, 13. mons, in quo erat oppidum positum Ilerda, B. C. II. 45). Fluvius, non ultimus quidem inter Hesperios amnes (Luc. 4, 14.), tamen non aptus navigationi, uno ponte saxeo junctus erat ad Ilerdam; septentrionem versus planities patebat inter duo flumina, Sicorim et Cingam, cui imminabat alta Ilerda. Ad id oppidum propter ipsius loci opportunitatem, quo hostibus saltibus Pyrenaeis occupatis juxta oram maritimam adventantibus fortiter resistere bellumque facile defendere

armaturae milites dicuntur vel peltastae a Livio (31, 36.). Hoc armaturae genus aptissimum erat et ulterioris provinciae naturae et pugnandi generi in Lusitanis reliquisque barbaris usitato, ut nimirum, quum longe a cultu ac disciplina militari Romanorum abessent, ordines non magnopere servarent, sed rari dispersique pugnarent, magno impetu primo procurrerent, audacter locum caperent, sin autem premerentur, loco cedere non turpe existimarent (B. C. I. 44.). Quidni ut Cretenses sagittis, Baleses fundis, Seythae equis, ita in Hispania ulteriore qui populi habitabant (impiger Astur Vettonesque leves, Luc. Phars. IV. 9.) hoc potissimum genere armaturae insignes esse potuerint? Citerioris vero provinciae incolae, utpote qui non adeo agrestibus moribus militiam Romanam et locum in acie servare didicissent, plures jam scutati proelium committere ita tamen, ut non omnino patrium cetrarum usum exuerint (I. 48.)? Varronem vero, Pompeii legatum, quem Petreio et Afranio victis eadem sine dubio sors manebat, nulla ex Hispania ulteriore auxilia misisse, cui videatur verisimile? Itaque aut tota illa scutatarum et cetratarum cohortium mentio, quia in narratione, quae sequitur, nullius momenti sit, tollenda, aut verba, ut vulgo exhibentur, servanda sunt, idque eo magis, quo diligentior Caesar in recensendis copiis esse soleat (III. 4.). — Ad verba, quae § 3. ejusdem cap. sequuntur: Audierat Pompejum per Mauretanium etc. Nipperdeus haec notat: hic inepte Caesar, simulatque Pompeium per Mauretanium adventurum audierit, pecunias a tribunis, centurionibus mutuas sumpsisse dicitur, quasi fama illa hujus rei causam attulisset; fama illi ne credidisse quidem Caesarem verisimile esse, quod Pompeium in Graecia mansurum (I. 25, 29.) praeviderit. Itaque: audierat scriptum fuisse existimat et post primam cap. § positum. — Quamquam aliquid offendit in oratione hac dissipata, tamen verba non tentanda videntur. Voce simul Caesar ut particula copulativa saepe utitur in sententiis connectendis (B. G. I. 19, II. 24, B. C. I. 4, 59, II. 25, 41, 80, 86, 89), si ad id, quod in aliqua re gravissimum est, adjicit, quod in eadem re minoris quidem, at non minimi momenti est, ita ut duobus his enuntiatis communis vel eventus vel sententia significetur. Haec est: Caesarem satis grave bellum instare sibi praevidissee, propterea maximas copias parasse et simul centuriones artificio quodam sibi junxisse. Oratio facilius fluit, si post audierat supplere enim velis. Ut vero, quae simul fiunt, nexu causali sint juncta non opus est. Quod deinde Nipperdeus contendit Caesarem huic famae ne credidisse quidem, immemor est loci c. 60., ubi Caesar rerum commutatione facta inter secundos, quos habuerit, eventus id quoque numerat, quod rumores illi de auxiliis legionum, quae cum Pompeio per Mauretanium venire dicebantur, extincti fuerint. Neque id consilium per Aegyptum, beneficiis Pompeio obstrictam, per Numidiam, ubi Juba rex, socius atque amicus (I. 6.), auxilio esse potuit, et per Mauretanium Hispaniae adeundae fuit improbandum ita ut Caesari id incredibile videri oporteret. Optimates de hoc bello optima quaeque sperabant (Cic. ad Att. VIII. 2, 3.) et quid ibi effici posset, proelio postea ad Mundam contra liberos Pompeii commisso perspectum est, quo nullum toto bello civili fuit atrocius (Florus IV. 2., Mommsen, R. G. III. 365.). Si denique Nipperdeum sequentes audierant pro audierat legimus, mirum videtur, cur neque Afranius c. 84. et Petreius de deditione agentes, neque Varro (II. 20.) illo rumore, qui animum sibi addiderit, ut tam diu imperatori officium praestarent, sese excusaverint. —

se posse sperabant, Afranius et Petreius, legati Pompeii, communi consilio bellum gerere constituunt (I. 38.).<sup>10)</sup> Initio castra ponunt in colle oppido proximo in sinistra fluminis ripa; nam ponte, qui oppidum castraque conjunxit, Afranius tres legiones equitatumque omnem c. 40 et 41 trajicit, ut equites Caesaris, qui trans flumen pabulabantur, opprimeret.<sup>11)</sup> Ex adverso C. Fabius, Caesaris legatus, postquam adhibita celeritate Afranii praesidium saltibus Pyrenaeis dejecit, castra locat non colle minore neque tamen ita, ut medius dirimeret tentoria gurges i. e. Sicoris (Lucan. 4, 18.), sed ut utraque castra eandem fluminis partem i. e. sinistram tenerent. Is, quum citra flumen substitisset, in eo pontes effecit duos distantes inter se milia passuum quatuor, quibus pontibus, quod ea, quae citra flumen erant superioribus diebus consumpserat, trans flumen pabulatum mittebat. Hoc idem, scilicet ut trans flumen pabulatum mitterent, Pompeiani exercitus duces faciebant. Altero Fabii ponte subito vi ventorum et aquae magnitudine interrupto parteque equitum et exercitus interclusa, quum hostes id cognovissent, proelium ab equitibus committitur, dirimitur interventu legionum, quas Fabius ulteriore ponte subsidio miserat (c. 40.). Post hoc quasi prooemium belli Caesar intervenit cum nongentis equitibus, quos sibi praesidio reliquerat, pontem, qui interruptus fuerat, noctu perfici jubet et postero die praesidio ponti castrisque relicto „omnibus copiis triplici instructa acie ad Ilerdam proficiscitur et sub castris Afranii consistit“ (I. 41.). Hoc quomodo fieri potuerit, non intelligimus, nisi id quod neque auctor commemorat, neque interpretes monent, statuamus adventu Caesaris Afranium vel castra sua trans flumen transtulisse vel suo se ponte in castra ibi jam antea ad Ilerdam tuendam munita recepisse. Utrumque exercitum nunc deltam, quam vocant, Sicori flumine quae efficitur et Cinga infra Ilerdam in illud influenti, tenere, scriptor h. l. commemorare oblitus est, dixisse se existimavit c. 48., ubi verbis illis: „quod supra demonstratum est“, hunc locum nostrum videtur respicere. — Frustra pugnandi potestate facta Caesar ab infimis radicibus montis, in quo Afraniani castra habebant, intermissis circiter passibus quadringentis castra facere constituit, in quae cohortes in superioribus castris relictas impedimenta quoque ad se traduci jubet (c. 41, 42.). Erat autem in media fere planitie, quae patebat inter oppidum Ilerdam et proximum collem, ubi castra Petreius atque Afranius habebant, tumulus paulo editior, quem Caesar, ut ab oppido et ponte et comaeu adversarios intercluderet, occupare conatur (c. 43.). Spem eventus fefellit, quod brevior itinere prius in tumulum Afraniani venerant. Repelluntur quidem Caesaris milites, atque aliis submissis subsidiis terga vertunt seque ad signa legionum recipiunt, illi vero, quamquam tumulum, quae causa pugnandi fuerat, tenuerunt, quum Caesar legionem nonam subsidio misisset, „rursus terga vertere seque ad oppidum Ilerdam recipere et sub muro consistere“

<sup>10)</sup> Mommsen, R. G. III. 663.: „Für eine Armee, die sich musste belagern lassen, war es eine vortreffliche Stellung. Aber die Vertheidigung Spaniens konnte, nachdem die Pyrenäenlinie verloren war, doch nur hinter der Ebrolinie erstlich aufgenommen werden und — — war der Rückzug in die wahre Vertheidigungslinie nicht hinreichend gesichert“, quod haud scio, an Caesar voluerit indicare his verbis: ipsius loci opportunitatem.

<sup>11)</sup> Non recte et parum perspicue Drumann 3. 438.: „Dennoch ging Fabius auf zwei schnell erbauten Schiffbrücken über den Sicoris — — bald fehlte es ihm an Futter für die Pferde, er schickte Reiter über den Fluss u. s. w.“

coguntur (c. 45.). Quod ad oppidum, ac non in castra, pro quibus in statione fuerant, se receperunt, non dubium est, quin, qua propior erat receptus, hac fuga sint delati, aversi ab ea parte, unde Caesaris legio nona impetum fecerat. Haec incitata studio quum inconsultius processisset, tamen virtute et patientia nitebatur, Afranianis „augebatur copia atque ex castris cohortes per oppidum crebro submittebantur“ (c. 45.). Occulto enim itinere post tumultum, pro quo pugnabatur, non longo circuitu tuto ex castris in oppidum perveniri poterat. Biduo, quo haec gesta sunt, accidit etiam repentinum incommodum, quum tanta tempestas eorta est ex nivibus in montibus prolutis, ut nunquam illis locis majores aquas fuisse constaret: uno die ambo, quos Fabius fecerat, pontes interrupti sunt (c. 48.). Nunc demum planis verbis docemur, castra esse inter flumina duo, Sicorim et Cingam, quorum neutrum quum inopia navium transiri posset, omnes his angustiis continebantur. Ea res magnam annonae difficultatem exercitui Caesaris afferebat, dum exercitus Afranii omnium rerum abundat copia, quam „sine ullo periculo pons Ilerdae praebebat et loca trans flumen integra“ i. e. non inundata, neque, ut Herzogio videtur, exhausta, exinanita provinciae citerioris loca, quod Fabius (c. 40.) ea, quae citra flumen erant, et Caesar deinde, si quid Afranius reliquerat (c. 48.), superioribus diebus consumserant. Conatus est Caesar reficere pontes, „sed nec magnitudo fluminis permittebat, neque ad ripas dispositae cohortes perfici patiebantur“ quae suo ponte Ilerdae, opinor, trajecerant in sinistram partem. Ita Caesar, qui obsidebat, ipse obsidebatur. Jam maximi commeatus, qui ex Italia Galliaque veniebant atque ad Caesarem iter habebant, ad flumen i. e. Sicorim constiterant neque in castra pervenire poterant. Qui si initio capitis ad flumen constitisse, paulo post autem fluminibus contineri dicuntur, haec non adeo inter se pugnant, ut ad poeticae dictionis genus (flumina Gewässer, Wasserfluthen, Kraner l. c.) neque ad conjecturam retinebant (Held) confugiendum sit, sed flumina intelliguntur et Sicoris et ea, quae jam trajecerant, nunc autem effusa aquae multitudine quominus suo itinere recederent, impediabant, ita ut, quum ad eos opprimendos Afranius cum omni equitatu tribusque legionibus profectus esset, actum de iis videretur, nisi tempus se in loca superiora recipiendi essent nacti (c. 51.). — At Afraniani fortunae beneficio non usi, ut hanc praedam, ita totius belli conficiendi occasionem ex manibus dimiserunt. Etenim Caesar ut ex his angustiis atque infelici hoc angulo evaderet, commeatum, quem diximus, tuto reciperet et ita rem frumentariam expediret, id egit, ut trans Sicorim, unde venerat, trajiceret et exercitu non disjuncto hostes ex utraque fluminis parte simul obsideret. Fuit profecto huic viro ad amplitudinem et gloriam et ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna. Imperat militibus, ut naves ex levi materia facerent viminibus contextas, coriis intactas, quales in Britannia olim viderat. „Has perfectas carris junctis devehit noctu milia passuum a castris XXII.“ (c. 45.). In his verbis incerti aliquid subesse testatur Baumstark, qui ad ea in versione vernacula uncis includens addit: „Die Cinga hinauf.“ Cum Caesariani hoc flumine longe ab oppido et commeatu, quem recipere volebant, delati essent; qui ea interpretatio in mentem venerit, non intelligitur. Neque enim ad hostes coercendos Cinga in remota Ilergetum regione, sed, quod ex sententiarum nexu facile colligitur, Sicoris erat trajiciendus et naves illae in castris perfectae carris devectae sunt i. e. vectae non deorsum, sed in alium eumque superiorem fluminis locum, ubi milites transportati sunt, qui continentem ripae collem

occuparunt et communiverunt. Legione trajecta ex utraque parte fluminis pons biduo perfectus est. Ambo Fabii pontes, quod Mommsen narrat (III. 365.), esse refectos, non est verum. Ita celeriter fortuna mutata et res frumentaria expeditur et hostibus tuto latius pabulandi facultas eripitur (c. 55. 59.). Sperabat etiam Caesar, si utramque fluminis ripam ita conjungeret proximè oppidum, ut non semper magno circuitu per pontem equitatus esset mittendus et exercitus non sine periculo partiendus, fore ut adversarios Iberdae contineret atque inopia expugnaret. Itaque nactus idoneum locum fossas pedum triginta in latitudinem complures facere instituit, quibus partem aliquam Sicoris averteret vadumque in eo flumine efficeret. His paene effectis Afranius Petreiusque, ne omnino i. e. in utraque fluminis parte frumento pabuloque intercluderentur, ipsi illis locis excedere et in Celtiberiam, ubi Hiberno flumine facilius se tutarentur, bellum transferre constituunt (c. 61.). In utra Sicoris fluminis parte Afraniani sese receperint, non planis verbis demonstratur. In animo iis est toto flumine Hiberno naves conquirere et Octogesam, oppidum positum ad Iberum, ducere, ubi navibus pontem facerent. In dextra Sicoris ripa si profecti essent, Cinga rapax (Luc. 4. 21.) eos moratus esset ac Caesari occasionem rei bene gerendae praeberet. Itaque (c. 61.) primum legiones duas Sicorim traducunt suo ponte castraque muniunt, deinde, quum pons in Hiberno prope effectus nuntiaretur et in Sicori vadum a Caesare reperiretur, omnibus copiis flumen transeunt et cum duabus legionibus, quas traduxerant, castra jungunt in ripa sinistra (c. 63.). Jam in celeritate belli discrimen erat positum. Equites a Caesare missi flumen transeunt, repente sese ad novissimum agmen ostendunt et iter impedire incipiunt. Jam exercitus quoque morae impatiens incolumis traducitur, Caesar copias instruit triplicemque aciem ducere incipit (c. 64.). Nova re perterriti hostes locis superioribus consistunt aciemque instruunt et quum conantes progredi Caesar insequeretur et moraretur, castra ponunt maturius, quam constituerant. „Suberant enim montes,“ quos intrare cupiebant, ut equitatum effugerent Caesaris praesidiisque in angustiis collocatis exercitum itinere prohiberent, ipsi sine periculo ac timore Iberum copias traderent (c. 65.). Hi montes a Pyrenaeis saltibus descendentes ad Sicorim atque Iberum usque pertinent; quos qui prior occupavisset, ab hoc hostem prohiberi nihil erat negotii. Simulato itinere Caesar hostes decipit, paulatim „agmen ad dextram“ retorquet et prior montes, quos petebant, attingit. Hostes manifestum est ad sinistram Sicori niti, ex hoc flumine aquam petere, ut ad dextram mare versus Caesar eos circumvenisse existimandus sit. Duces adversariorum perturbati, quod omnem rei frumentariae fluminisque Iberi spem dimiserant, num Iberdam an Tarraconem, quae itinera patebant, peterent, deliberant (c. 73.). Sed ex propositis duobus consiliis explicitius videbatur Iberdam, quia propius aberat, reverti. Lente atque paulatim proceditur, tandem peragitati ab equitatu consistunt necessario et procul ab aqua et natura iniquo loco castra ponunt: eos vallo fossaque Caesar circummunit (c. 81.). Vadum fluminis Sicoris tentant, si transire possent, Caesar vero crebras in ripis custodias disponit (c. 83.). Tandem omnibus rebus obsessi colloquium petunt seseque victos profitentur (c. 84.).<sup>11)</sup> —

<sup>11)</sup> Der Feind wurde niedermarschirt, nicht geschlagen; Wachsmuth, das Zeitalter der Revolution, Bd. III. 114. Caesar vermied es, durch nutzloses Blutvergiessen sein Heer zu schwächen und die arge Fehde noch weiter zu vergiften, Mommsen III. 366.

Ita anceps variumque bellum, quod non multo quidem sanguine, sed magno labore stetit ut, qui vicit, propius fuerit periculum, IV. Non. Sextil (2. August 705. p. u.) confectum est. Qui dies si in vetustis calendariis vere indicatus est, et Th. Mommsenio (R. G. 3. 363.) fides habenda est narranti, Caesarem nono die ante Calendas Julias (23. Juni) venisse in castra, Curio, id quod Drumannus contendit<sup>12)</sup>, non ita falso praedicat a Caesare haec XL diebus, quibus in conspectum adversariorum venerit, acta esse (B. C. II. 32.). —

<sup>12)</sup> Drumann III. p. 464, Not. 11.: „Curio beschränkt die Zeit des ganzen Feldzugs auf 40 Tage; er dauerte über drei Monate.“

### A. Kayssler.



## Pugna ad Herdam.

1 Pons saxetus, Luc. Ph. II. 15. Cass. I. 40.

2 Afranii castra, I. 38.

3 C. Fabii castra, I. 40.

4, 5. Pontes duo, quos Fabius effecerat I. 40.

6. Altera castra, Afranii I. 44.

7. Caecurvis castra, I. 42.

8. Tumulus paulo editior, I. 43.

9. Fossae pedum triginta in latitudinem, quibus Cati.

quam Sitoris partem acce-  
dit, I. 61.

10. Afranii illis locis exee-  
dit, I. 61, 63.

11. Suberant montes, infra quos  
se recipiebant Afraniani, I. 66.



